



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE ARMENIAM NATIONEM* IN REPUBLICA ARMENIA
NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR. Ad perpetuam rei memoriam. — Armeniam Nationem Romani Pontifices
singulari prorsus cogitatione curaque per saeculorum decursum sunt prosecuti praesertim quod ibidem exstant antiquae
Christianae communitates etiamque catholicae. Qua re, quo plenius confirmentur publicae necessitudinis rationes inter
hanc Apostolicam Sedem et Rempublicam Armeniam hoc ipso die feliciter initae simulque aptius provideatur spirituali
bono fidelium illie commorantium, Nobis peropportunum videtur Apostolicam Nuntiaturam in eadem condere. De
communi igitur utriusque partis voto, audita Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, summa Nostra potestate harumque
Litterarum virtute in Republica Armenia Nuntiaturam Apostolicam constituimus, factis cunctis iuribus, privilegiis,
honoribus, praerogativis et indultis, quae huiusmodi Legationum propria sunt. Has denique Litteras, in forma Brevis
maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae,
apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Maii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri decimo
quarto. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card.

SODANO

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 4, p. 312 © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana